

transmittimus, Philosophica autem expansis manibus apprehendimus, & cum primis curiæ Philosophicæ dictatorem, nempe Peripateticorum principem Aristotelem (quem *Iovius Petrus Adolphus* magnum mundi miraculum appellat) cujus insignia & quasi divina testimonia de Omnipræsentia DEI hinc inde resultant, audiemus.

§. 8. Hic verò præmonendum, quod aliqui dupliciter in Aristotele contineri possit. Primò quædam κατὰ τὸ ῥητόν, secundò quædam κατὰ τὴν ἀξιότιαν reperiuntur. Hisce prælibatis omnipræsentiam DEI ex Aristot. l. 7. Phys. c. 2. t. 10. probant, ubi hæc nobis obviam veniunt: τὸ δὲ πρῶτον κινῆν, μὴ ὡς τὸ εἶναι ἐν, ἀλλ' ὅθεν ἢ ἀρχὴ τῆς κινήσεως ἀμα ὅτι τῷ κινῆσθαι ἀμα δὲ λέγω, διότι ἴδεν αὐτῶν μελαξὺ ὅτι. τὰ το γὰρ κοινὸν ἐπὶ πάντος κινῆσθαι καὶ κινῆν τῷ ὅτι. Deinde ex lib. de Mundo cap. 5. γῆν τε πᾶσαν καὶ θάλασσαν, αἰθέρα τε καὶ ἥλιον, καὶ σελήνην καὶ τὸν ὅλον ἕρανὸν διεκόσμησε μία διὰ πάντων δίκησθα δύναμις &c. Postea cap. 6. hujus libri de Mundo: πάντα ἐκ θεῶν καὶ ἀφ' ἑαυτῶν συνέστηκεν. & porro, πάντα εἶναι, dicit θεῶν πλέω. Plura videantur lib. 8. Phys. c. 10. t. 84. lib. 2. de cælo cap. 6. tex. 36. lib. 12. Meteor. cap. 7. & 9. Sed hæc sufficiant de testimoniis Aristotelicis, jam nunc vela ad probationem nostram ex lumine rationis seu naturæ desumptam dirigimus.

§. 9. Primum argumentum, quod Omnipræsentiam ex lumine Naturæ probat, erit tale:

Quicumque est immensus infinitâ immensitate essentia sua, ille per essentiam suam est omnipræsens: DEUS est immensus infinitâ immensitate essentia sua: Ergo DEUS per essentiam suam est omnipræsens.

Major patet: per immensitatem enim ejusmodi modum existendi intelligimus, juxta quem natura aliqua ex se & eadem permanens, intimè præsens est omnibus rebus, non solum
actua-